ESTHER

Melodrama

FRANCISCI DOMINICI
CLEMENTI ROMANI

Muſicis modulis expreſſum

A D. DOMINICO LAVRELLI


DECANTANDVM

In Sacello Ven. Archiconfraternitatis

SANCTISSIMI

CRVCIFIXI

Feria VI. ante Dominicam Paſsionis.



ROMÆ, Typis Jo: Franciſci Buagni. MDCCX.

Superiorum Facultate.

ARGOMENTO.

Aman favorito del Rè Assuero, volendo, per l'odio grande, che portaua à Mardocheo, toglier di vita il Popolo Ebreo, spedì da per tutto premurose lettere, incaricando à Satrapi, e Giudici d'ogni luogo, che douessero in'un giorno destinato far uccidere tutti gl'Ebrei, che si ritrouauano nelle loro Prouincie, senz'auer riguardo à Persona di qualsiuoglia sesso, ed età. Ester sollecita della salute della sua Gente, si portò dal Rè suo Sposo, dal quale fù benignamente accolta, ed'assicurata, che tutto quello, che auesse domandato, auerebbe pienamente conseguito; ancorche auesse richiesto la metà del suo Regno. Si riserbò la prudente Regina di manifestare l'animo suo nel futuro giorno nel conuito, al quale chiamò col Rè suo Sposo ancora Aman, che v'andò oltre modo dolente, per esse restato obligato in quel medesimo dì à condurre per la Città di Susa Mardocheo suo nemico con quell'onore, che per propria ambizione auea suggerito ad Assuero douersi concedere à Chi Egli auesse voluto onorare. Palesò Ester al Rè l'insidie d'Aman, quali intese, Assuero fortemente s'adirò, e partissene dal Conuito. Aman allora vedendo in manifesto pericolo la propria Vita incominciò à supplicar'Ester; nel qual tempo sopragiungendo Assuero, e credendo, che Aman volesse anche in sua presenza opprimer la Regina, lo condannò al Patibolo, che l'empio auea preparato per l'innocente Mardocheo, quale poi sostituì ne beni, e posto d'Aman, dando piena facoltà ad Ester di ritirare con nuoue lettere gl'ordini già dati per l'uccisione del Popolo di Dio vt in lib. Esther a cap. 3. vsque ad 8.

INTERLOCVTORES.

Esther.

Assuerus.

Mardochæus.

Aman.

PRIMA

PRIMA PARS.

Eſter. DVlcis afflictis tandem illuxit Dies
Larga ſerenus luce,
Quà ferox Aman ſcelere ſe perdat ſuo
Et Innocens gens mea morti furetur
Alienà fraude excuſſa.
Dextra, qua dedit Sponſus,
Regię ſignum Clementiæ;
Et verba amoris plena,
Voti me reddunt mei ſatis ſecuram;
Sed quid miſera dixi: Anime vilis,
Quænam ſit vera ſpes, tu certè ignoras
Diſce melius ſperare;
Et in ſecura ſpe, ſpem tuam locare.
Ex humana quæ venis potentià
Vel non ſpes, ſed dicenda es dementia,
Vel ſi ſpes, nimis labilis es
Nam radice quæ fixà locatur
In Iuſtitia et in Deo, vocatur
Illa ſola firmiſſima ſpes.
Quiſquis humano in Rege ſpem ponit ſuam,
In res mortalium ſemper Conſilium vigil
Lędit prouidæ mentis:
Quoties enim in homine quis ſperat
De numinis Clementià ille deſperat.
Am. Ira ſimul et dolore
Cor infelix laceratur;
Et torquebitur maiore
Pęna ſemper, inimico
Si non ſanguine ſatiatur.
Animus quoties huius reuoluit vices
Aduerſæ lucis mentem inuadit furor

Dolorque pectus, morsu depascit intimum.
Concessi honoris, meque præconem sui
Habuisse Triumphi
Superbiat Mardochæus
Super Crucis patibulum, crudeli
Impium quod decet, fatò
Dignas superbiæ suæ pænas rependet,
Et iustæ mortis reus
Exemlpo discet suo quàm sit affinis
Summus honor ruinis.
Quem regali superbum decore
Susan vidit et sertis ornatum:
Cernet sortis mutato fauore
Spretum cunctis et neci damnatum.

Ester. Dulcem Patrue in lætitiam
Verte cordis Męstitiam;
Preces Populi sui iam cæpit Deus
Aure facili audire.
Commota hyems turgidi decreuit maris,
Et nostra diu vexata
Ratis turbine & vndis,
Per æquora pacata
Fertur auris secundis.
Tranquillo ducta Zephyro
Per Mare placidissimum
Nostra puppis vagatur;
Et dum revoluit turbinem
Sub quo se vidit obrutam;
Metu procellæ posito,
Secura plus lætatur.

Mar. Tantum iubent sperare
Me nunc Ester formosa
Iustitia & Innocentia,
Quæ iura & Vitam gentis tuentur meæ:

Hæc

Hæc insidia scelesti
Aman, Regi Assuero
In luce sistet dies .
Breuis triumphus est quem canit Reus ;
Nec diu languere iustos finit Deus .
Fraude Cor innocens
Premi si patitur,
Non finit opprimi
Supremus Dux :
Nàm quos nox occulit
Profundis extrahit
Dolos e latebris
Cælestis lux .

Ester. Inter pocula , & dapes
Lætos inter clamores
Pandam Coniugi amato
Dolos Aman , & mei cordis dolores :
Aman sic hostis meus
Quem vocaui ad conuiuium ,
Ester quoque fauore
Dum se putat beatum
Lætas in tristes vices
Cernet breui vt momento immutet Fatum .

Mar. Et sic noscet scelestus,
Instans nocenti a tergo
Armata ineuitabili flagello ,
Quòd ira vltoris numinis expletur
Tunc, cum minus timetur .
Cęli leges cum Reus offendit ,
Vindex Criminum Deus , acendit
In vindictam non semper furorem ,
Quando at Impius nil solet timere,
Scelus sceleri et gaudet augere ,
Arcum tendit , et agit vltorem .

 Es-

Assue. Hęc dies est formosa;
Ester qua Sponso suo vota recludet —
Cuncta tempus optatum
Indicti iam conuiuij,
Quæ præcurrunt momenta.
Angunt me; vnde fugere.
Penna queror tam lenta:
Nimis enim cupienti
Nullus, morà vel brevi
Dolor maior est menti.
Sponsa vellem, quod optat, iam petijsse
Vt et gloriam haberem, concessisse.
Dolet animus regalis
Cum desiderat prodesse,
Si momento retardatur:
Quæ citatis solet alis
Votis supplicis adesse
Quippè gratia ingeminatur.
Dolet &c.
Dimidiam Regni mei Coniugi partem
Si petat, me daturum
Promissi, et quoque nunc iterum iuro.
Ec quid enim iucundius
Potest Regi euenire, et Sponso amanti
Quàm indulgere suæ Sponsæ roganti.
Nulla maior amanti est voluptas;
Posse amantis quam preces implere,
Nempe duos quando amor coniungit
Nemo solet suo gaudio lætari
Quisque alterius sed sorte gaudere.
Nulla &c.

Mar. Festo regalis aula
Fremit omnis tumultu,

Et

Et superbus honore
Nouo, perfidus Aman,
Factus regalis mensæ,
Quòd solus sit Conuiua,
Plusquam omnis lætatur:
Ignarus se, fortunæ
Turbo non expectatus
In quas aget Procellas;
Nescit enim infelix,
Sors quos miseros cupit,
Quòd ante in altum ducit
Mox decepti fauore,
Lapsu vt ruant grauiore.
Quem suæ scopum feritatis
Sæua vult felicitatis
Ad fastigia ducit sors,
Tristis rerum secundarum
Vt memoria, vim pænarum
Augeat plus, quàm dura mors.
O Potens rerum sator
Cuius in manu sunt hominum sortes,
Scelere nostro expulsæ,
Si quid ad huc paterno
Dulcis in sinu tuo restat Clementiæ;
Mitis ne sinas Deus,
Quòd scelestus, et reus
Criminis sui lætetur:
Et de Populi tui nece glorietur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SECVN-

SECVNDA PARS.

Assu. SIstra Cymbala, et lyras pulsate,
Et beatę
Lucis huius lætitias augete,
Ester Pulcra, vos carmine ouanti,
Regi amanti
Quàm sit cara Assuero prębete. Sistra&c.

Ester. Ah non: potius ferale
Carmen sonet vbique,
Vbique ingeminentus
Lamenta, et vlulatus.
Hæc sola gaudia sunt, quæ afflictam decent,
Inter sortem tum duram
Hæc decent morituram,
Vel lugetę,
Vel tacete
Dulces cytharæ sonantes,
Mei dum flebunt,
Vos docebunt
Fletus oculi plorantes. Vel&c.

Assue. Sed quis subitus dolor,
Frontis serenum diem
Sęuis immiscet vmbris
Ester Coniux, dilecta?

Ester. Nimis superbo me nomine honoras,
Summe Rex. Ester fuit
Cuniux iam quondam tua.
Vtinam infælici nunc liceret,
Non iam iugalem thorum
Ascendere Assueri,
Sed inter famularum,
Posse gregem haberi:

Re-

Reliquos vitæ ſuæ dummodo dies,
Traheret ærumnoſos;
Regia ſceptra in catenas
Libenter commutaret:
Aſſuerum ſic enim,
Si non poſſet vt Sponſum,
Vt Regem, ſaltem ſuum poſſet amare;
Nec generoſum Cor fati rigorem
Sic acerbe doleret,
Quando Sponſus, et Rex mori iuberet.
Vitam poſco, et ſeruitutem,
Non quia piget me perire;
Nam mea mors ſi placet iræ
Dulcis Sponſi, cupio mori.
Fortis animi virtutem
Perdit hoc crudeli pæna,
Cari Coniugis, aliena,
Fraude rapior quòd amori.

Aſſue. Pande quis tantum nefas
Auſus ſit meditari.
Eſter. Quem indefeſſus Regis lactauit fauor.
Aſſue. Hos infelices Principes fructus legunt,
Immerentes in ſeruos cum gratias ferunt;
Sed quiſnam reus ſit clariùs oſtende.
Eſter. Aman, ſceleſtus Aman.
Aman. Quid audio infęlix!
Eſter. Aman ergo ſic audax?
Eſter. Fraudis Artifex ipſe
Publicis documentis,
Vbique genti meæ fatalem diem
Indixit, et communi me ferox ſtudet
Letho quoque immiſcere.
Vnde quod peto....
Aſſue. Satis Eſter, audiui.

Da-

Dabit improbus pęnas.

Aman. Mi Rex.

Assue. Ingrate, ah perfide
Sile, et Cor vocibus,
Scelestis desine
Plus agitare.
Offensa est Principis,
Quodcunque Regiam
Tentasti in Coniugem,
Nefas patrare. Ingrate &c.
Recedo. meliùs solus
Mecum consilia exigam, vt tantæ statuam
Æquas audaciæ pænas.

Aman. Nulla infęlici spes restat salutis,
Ni me mulier regalis,
In quibus demersisti eripias malis.
Ad hos fletus cadentes
Flecte Cor, prębe auxilium,
Et indue pietatem:
Hæc enim Virtus animum Regnantis decet,
Plusquam deceat sęuities,
Et similis Tonanti,
Princeps esse probatur,
Quoties largitur veniam dum rogatur,
Ptinceps similis Tonanti
Est, cum supplices amanti
Reos lumine tuetur;
Et securus dominatur
Plus, cnm placidus amatur,
Quàm cum barbarus timetur. Princ. &c.

Ester. Non semper animum pietas regalem decet,
Namque vbi scelus omnem excedit modum,
Qui vult Reo indulgere
Princeps mitis non est, sed potius furens,

Et

Et suæ clementiæ solet pænitere.
Ama. Ergo spes nulla est super?
Ester. Vade, procul recede.
Ama. Per superos exoro,
Per hos regales pedes
Ester te precor, opem
Dona misero, et veniam
Mitis dona Infelici,
Et qualem .....
Assue. Quid intueor, scelestus
Aman, Sponsæ regnantis
Ad huc presente me vitæ insidiatur?
Tolliteserui audacem,
Et in ligno Innocenti Mardochæo,
Quod parauerat impius, suspendatur.
Ama. Exemplum lacrimabile
Qui cupit, inter mortis
Horrores cernat me.
Videbit quam mutabile
Sit numen leue sortis,
Et falsa vt ludat spe. Exem &c.
Impatiens animus ferre longiorem moram
Non potest, tandiu spes quæ differt suas.
Ignota quadam vi pes stimulatur,
Et cogitur adire
Ester à Sponso suo vitam rogantem,
Et pro Populo Dei
Salutem implorantem.
Vadam. ehu quanta spes animum subit!
Quæ cordis trepidantis
Metus omnes confundit,
Et insolito me gaudio perfundit.
Cor pertentat ignota voluptas
Omnem pellens e sinu dolorem,

Et

Et inuitus sic cogor gaudere,
Vt timere
Nesciam ipsum vel inter timorem.
Ester. Quàm mitis es arbiter Cęli potens.
Nemo fundit ad Te preces, qui tuum,
Non sentiat auxilium;
Sed Patruus concitatis
Ad me festinat pennis.
Mar. Hilari, et serenato
Magnam concipit Cor, e uultu tuo
Ester spem, et lætitiam.
Viuet Populus Dei? an adhuc salus
Dubio metu agitatur?
Ester. Viuet, et Insidiator
Aman in ligno, tuæ,
Quod parauerat neci
Dignas perfidiæ suæ pænas persoluit.
Mar. Grates Numini, et Tibi
Sint Ester generosa.
Ester. Desine hæc loqui, gratiam
Ester nullám meretur,
Omnis supremo Numini debetur.
Quidquid venit lætitiæ, et doloris,
Haud humanæ adscribendum est menti:
Cuncta namque Cęlestis Authoris,
Egrediuntur e manu potenti.
Quid &c.

Mar. Quò miseros, grauiores
Nos opprimebant luctus,
Dedit Cęlestis sors, vt eò maiores
Carperet inde cor lætitiæ fructus.
Mar. Sic post imbres, et horrores,
Ester. Sic post hyemis rigores

Cla-

Mar. Clarior ſol
Iſter. Gratius ver redit ad nos
a 2. Sic maiori, et venuſtate,
Quieſcente tempeſtate:
Gratus campis ſurgit flos.

Sic &c.

F I N I S.